

## Comment. In Danielelem

Quare verba hæc Azaria: Vniuersa opera tua vera, hunc possunt habere sensum. Omnia opera tua domine sunt bona, iusta, & æqua.

**Super ciuitatem sanctam.** Circuitio est Hierosolymæ, quam alij circumlocutionem vocant. Græci verò periphrasim auctore Quintiliano capite sexto libri octauo. Diuus Mathæus capite 4. Hierosolymam appellat ciuitatem sanctam, cum ait. Assumpsit eum diabolus in ciuitatem sanctam. Et capite 27. Exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem. Ita appellabatur, quia erat in ea templum Dei, & verus eius culus, & quia ibi Christus Deus noster euangelium docuit, & magna redemptionis nostre mysteria peregit.

**¶ Quia in veritate & iudicio.** Hoc est, in iustitia & æquitate. Vel in vero & equo iudicio, iuxta illud diuini psalmsi Psalmo 118. Iustus es domine, & rectum iudicium tuum.

**¶ Peccantissimus.** Quoniam variis affligimur calamitatibus, peccata nostra cognoscimus, & iusta esse iudicia tua fatemur. Vide obsecrationem fidei & humilitatis plenissimam. Innocentes erant, nullas pestilentes labe in animo habebant, & tamen sibi populi tribuunt peccata, propter quæ in ærumnis merito versari consentunt. Et sapienter quidem, nam apud iustum iudicem qui se accusat, excusat. Ideo subdit: Recedentes a te. Emphasim habent verba hæc. A te, qui es summum & incommutabile bonum, qui nos creati, qui ab Aegyptiorum seruitute liberasti, qui per mare Rubrorum mirabiliter eduxisti, & qui in nos cordie immortalia cõfers beneficia. Ac cùm te seq. deberemus, recessimus a te, & deliquimus in oibus.

**¶ Et præcepta tua non audimus.** Hoc est, non obediimus eis. Accipitur audire pro obtemperare, vt Exodi 18. Audi verba mea, & que consilia. Deuteronomij 5. Audi Israel cerimonias ac iudicia. Matthei 18. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Et Ioannis 10. Oues meæ vocem meam audient, Vel præcepta tua non solum non seruauimus, sed ne audire qui-

dem voluimus. Audiuit te mare, quando vt populus tuus transfret, se mirabiliter diuisit. Audiuit te lapis, quando populo scienti vim aquarum produxit. Audiuit te Iordanis rapidissimus fluuius, quando ad transitum Hebræorum te iubente conuersus est retrorsum. Audiuit te sol, quando in medio celi immobilis stetit. Audierunt te venti, quando imperasti ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Audierunt te mortui, quando dixisti Lazaro iam sepulto: Lazare exi foras, & filio viduæ ciuitatis Naim: Adolefens tibi dico: Surge. & filiz principis synagoge: Puella surge. Mortui te audiunt, & viu te audire recusant. Audiunt te res omni sensu destitutz, & nos quos tu compotes rationis ad iraginem & similitudinem tuam fecisti, te audire renuimus. O surditatem nostram miserissimam, ò contumaciam deplorandam: Quid Deo respondebimus in die iudicij? Audimus mundum, cùm nos vocat ad blandas, sed pestilentes voluptates, vt nos capiat, & occidat, tibi autem qui nos aliquando terres timore supplicij sempiterni. vt vitia fugiamus, & virtutum operam demus, nolimus aures præbere. Vt blanda aucupis vox aues vocantis, & modulantis illis est perniciofa, non autem sonitus villicis deterrentis, sic mundi blanditiæ & illecebræ quibus nos vult delinire, & irretire, exitiose sunt, non autem Dei verba & monita, quibus nobis iniicit terrorem ad animos a vitis abducendos, & ad virtutem excitandos. Ac sepe nos benignè vocat dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. & ego reficiam vos: Sed nos obfuscedimus, & illum fugimus. Præbemus aures mundi doli, diuina autem ac salutaria præcepta audivere recusamus.

**¶ Ut bene nobis esset.** Non solum quò ad corpus, sed etiam quò ad animum. Ex toto cursu veteris testamenti patet, fuisse Hebræorum res secundas, & ad eorum voluntatem fluentes, dum Dei præcepta seruarent.

**¶ Et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum.** De hoc schemate differuimus primo capite. Sensus est: Nunquã

Babylo-

Quinti.  
Matt. 4.

Matt. 27

Psa. 118

Gene. 1.  
Exo. 14.

Exo. 18.  
Deut. 5.

Matt. 18.  
Ioã. 10.

Nu. 20.

Psal. 77.  
Iosue 3.  
Iosue. 10  
Matt. 8.  
Matt. 4.  
Luc. 8.  
Ioã. 1. 1.  
Luc. 7.  
Matt. 6.  
Mar. 5.  
Luc. 8.

Similitudo.

Mat. 11.